



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiqvo Veroqve Eivs Insvlae Qvam
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

Aurelius, Cornelius

Antverpiæ, 1586

Generoso Militi Domino Iacobo De Lochorsta, Praetori Leydensi, Corn.
Avrelivs. S. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38123

GENERO SO M I L I T I
 D O M I N O I A C O B O D E
 LOCHORSTA, P R A E T O R I
 LEYDEN SI, CORN. AVRELIVS,
 S. D.

QVANDO QVIDEM tua benevolentia
 nihil omnium mihi certius esse per-
 suasum habeo; audeo vir ingenue Iacobe de
 Lochorsta literas ad te nostras mittere, &
 hoc opusculum tuo nomini peculiariter di-
 care. Dignum enim esse arbitror, ut qui à
 Carolo rege Catholico, nostroque principe,
 militaris gloriæ insignia accepisti, eiusetiam
 vicario quem nostris præfecit in oris, since-
 rissimè, pro victoria quam apud Nouiopor-
 tum strenuè confecit, gratuleris. Ad hoc si-
 quidem & tuæ probitatis indicium, & sacræ
 imitationis prouocare debet exemplum.
 Leges igitur in hoc carmine quid tibi & ci-
 uibus, quid patriæ debeas & superis. Præ-
 terea quantis sit laudibus ille celebrandus
 qui publica priuatis anteponere non graua-
 tur. Idcirco enim præclara proborum ho-
 minum recitantur facinora, ut posteri ea stu-
 deant imitari, & eorum exemplis ad virtu-
 tis cultum excitentur. Ita enim olim Fa-
 bius Periclem ; Portius Cato Curium ; ita
 Cæsar

Cæsar Alexandrum; Brutus Iunium Gentilem imitatus, maximas quasque res gessisse memoratur. Nam ut olim industriis pictoribus ex Olympio Ioue Phidix, & sculptoribus ex Argolica Iunone Polycleti tanquam à veris archetypis effingere quippiam licuit: ita & tibi miles inclyte, & telquis omnibus qui hæc attentè legent, eximium quoddam & præclarum virtutis monumentum licebit elicere. Quapropter, qui iam idem & militari & prætorio munere in Rhenanos apud Leidas ab eodem principe es sublimatus, incumbit tibi quām maximè, modò in rem ciuilem modò militarem animum intendere. Nam quemadmodum, iuxta Peripateticos, animus noster duabus potissimum virtutibus illustratur; quarum altera, quæ sequenda sunt sequitur; altera, vitanda vitat: ita & rector siue præses duobus sit ornatus prudentiæ generibus necesse est. Rogas quibus? Legum positio, quod aiunt, & militari. quòd illo, quæ ciuibus sequenda sunt & fugienda, ingenuè noscit: isto, hostem fugat, & seditiones compescit. His itaque, mi Gerardus, præmonitus institutis, ita iustitiæ trutinam & lancem seruare curato, vt in omnibus & tuo honori probè consulere, & ciuibus semper adesse videaris. Postremò te hortor,

hortor, si tamen dignus & quidem is sum
quem beniuolè audias, vt omnia gubernes
& moderere prudentia, nec te tibi prauo-
rum auferre finas consilia. Genitoris tui,
quicum non inurbana nobis olim familiarita-
tas fuit, te simillimum præbe. Is enim sese,
dum in humanis ageret, in maxima consti-
tutum voluptate arbitrabatur, quando cum
optimis quibusq. viris quorum doctrina at-
que prudentia & ipse doctus pariter & pru-
dens fieri posset, versaretur. Hæc vt audeam
tibi persuadere & ad scribendum me inge-
rere, meus in te candidissimus induxit amor,
vt tuus ille patruelis, imò & pater, Reueren-
dus inquam dominus & vir ingenuus D.
Hermānius de Lochorsta, gratiosissimi Do-
mini Traiectensis viçarius, & S. Saluatoris
decanus. Huius enim pientissimæ dignatio-
ni suorumque omnium claritudini meritò
& me & ingenium onne debeo: qui est vel
vnus omnium dulce decus meum, vitæque
præsidium & alter Mæcenas cui vt me to-
tum in tempore commendes, oro quam-
plurimum. Vale.

DOMINO